



**R. P. Ildephonsi Peñafiel E' Societate Jesu, Quondam In
Cusquensi Collegio Sacrae Theologiae Primarij
Antecessoris ... Theologia Scholastica Naturalis**

Peñafiel, Alonso

Lugduni, M.DC.LXXIIX.

8. In qua tertium principale Argumentum ponitur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95871](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95871)

possibile sunt addita diminuentia, quæ significant idē quod secundum quid, quod opponitur significato huius vocis simpliciter: ne tamen significationi hæreamus, sed difficultati, dico intra significatum huius vocis & similitudinem ens in potentia, ens in actu esse valde analogum, & ens in actu ita differre in conceptu significato ab ente in potentia, ut solum ens in actu iure sit ens & alterum non ens, & ab utroque non posse abstrahi unum conceptum entis proprii magis quam ab homine picto & viuo, quia homo possibilis sub illa ratione est negatio, & homo actualis sub illa ratione est positivus, sed à positivo & negatio minus potest abstrahi conceptus hominis vel entis quam à picto & viuo: ergo: quemadmodum enim hominem absolute intelligimus principium discurrendi, & quia pictus homo caret hoc principio vere, ideo non est nisi secundum quid homo, ita cum existentia sit ratio entis absolute, & quia ens in potentia caret ea existentia exercita, ideo est ens secundum quid; nam ipsa carentia existentie est non ens simpliciter, unde multi Doctores asserunt obiecta scientiæ simplicis intelligentiæ excludi à numero entium: at obiecta illa sunt ipsæ rerum possibilitum essentia: quia illa scientia non terminatur ad negationes existentiarum, imo ad has terminatur, ut ipsi inquirunt scientia visionis, quia negatio pertinet ad effectus existentes, quia supponit voluntatem efficacem Dei de non producendo obiecto, quam voluntatem sequitur scientia visionis, itaque certissimum iudicio rem simpliciter constitui in esse talis per existentiam, sine qua res non est simpliciter talis, sed secundum quid.

¹⁵² Quod sic patet, quia implicat eidem voluntati odium & amorem convenire simul simpliciter respectu eiusdem obiecti, sicut intellectui implicat simul convenire assensum, & dissensum, affirmationem, & negationem simpliciter respectu eiusdem obiecti, v. g. non potest idem intellectus simul affirmare & negare de Deo, quod sit trinus & unus simpliciter, atque eidem voluntati simul conveniunt in potentia seu possibiles amor & odium: affirmatio, & negatio intellectui possibiles: ergo odium & amor, affirmatio & negatio in potentia seu possibiles non sunt simpliciter, sed si existerent affirmatio & negatio essent simpliciter tales: ergo per existentiam constituitur res in esse simpliciter, & sic non possunt eidem intellectui simul respectu eiusdem obiecti convenire affirmatio & negatio actualiter existentes. Minor prima est certa, quia omnia possibilia secundum possibilitates sunt simul & non successivæ quæ à se sunt possibiles; unde ab æterno omnia sunt possibilia; item affirmatio & negatio possibiles possibiliter conveniunt intellectui, unde possibilitas talis convenientiæ etiam actu est possibilis, quia in potentia intellectus continentur nunc virtualiter affirmatio, & negatio: maior est certissima ex summis, quia duæ propositiones contradictoriæ non possunt simpliciter eidem respectu eiusdem convenire; sed affirmatio & negatio existentes sunt duæ propositiones contradictoriæ: ergo affirmatio & negatio existentes & simpliciter tales non possunt simul convenire eidem intellectui.

¹⁵³ Dices affirmationem & negationem in oppositione pendere ab existentia quæ carent, dum sunt in potentia: opponi enim sonat actum, sed contra, quia existentia non est ratio formalis in tua sententia ob quam actus opponuntur, tota enim oppositio consistit formaliter in affirmatione & negatione; existentia autem non est affirmatio nec negatio: ergo

antequam habeant existentiam habent totam essentiam oppositionis & oppositionem totam, sed oppositio in potentia est per te simpliciter oppositio: ergo illi actus, ut sunt in potentia, opponuntur, vel non sunt simpliciter actus: unde si sunt simpliciter actus, simpliciter opponuntur ante existentiam, quia adveniente existentia non advenit aliquid spectans ad essentiam oppositionis simpliciter, nec fit de novo ens aut oppositio simpliciter & repugnancia: ergo ante existentiam erat tota oppositio simpliciter: imo idem dici potest in tua sententia de actione & vniōne: & sic ab æterno erant vnitæ partes, quia illæ ab æterno sunt simpliciter partes, & earum vniō ab æterno est simpliciter vniō, cuius essentia est vniō, sicut essentia hominis esse animal: ergo partes ab æterno sunt vnitæ simpliciter, quia ab æterno est vniō simpliciter, quia vniō est vniō, & ab æterno est vniō simpliciter: unde totus homo simpliciter est ab æterno & simpliciter vivit, quia vita eius simpliciter datur ab æterno, quia datur ab æterno vivere simpliciter, quia datur essentia vivere ab æterno: sed hæc sunt summa absurda, quia quando homo motus in tempore, etiam ab æterno sit possibilis homo, ac per consequens sit possibilis vita hominis, & vniō inter partes illius, nihilominus quia actu destruitur vniō inter partes illius, & actu non habet vitam, dicimus hominem non esse simpliciter, nec simpliciter vivere, neque absolute habere partes vnitæ, alias viveret & non viveret simpliciter simul, haberet & non haberet simpliciter partes vnitæ: igitur esse aliquid in potentia & non in actu non est simpliciter esse tale; sed esse actu est per existentiam: ergo per existentiam constituitur res in esse simpliciter, quæ ablata manet in esse tantum secundum quid.

SVBSECTIO VIII.

In qua tertium principale argumentum ponitur.

¹⁵⁴ Quia si essentia creata à parte rei distingueretur ab existentia, essentia compararetur à parte rei ad suam existentiam, vel ut potentia passiva ad actum realem; vel ut subiectum ad actum modalem, per quem perficeretur: atqui neutro modo comparari potest essentia ad suam existentiam: ergo essentia à parte rei non distinguitur à sua existentia: maior admittere necessario ab aduersariis, quia posita illa distinctione ex necessitate inter illa extrema, intervenire deberet aliqua habitudo inter ipsa, cum non se haberent disparatæ: atqui non alia habitudo potest dari quam habitudo modi ad subiectum vel actus reali ad potentiam, quia esset in ordine ad perficiendam essentiam, conferendo illi suæ actualitatis exercitium, constituendo ipsam per aduentum existentie supra essentiam in esse actualis simpliciter in genere causæ formalis: ergo existentia est actus essentiae, sed omnis actus ex æquate dividitur in modalem & realem: ergo existentia est actus vel modalis, vel realis respectu essentiae, si distinguitur ab ipsa à parte rei, patet hoc, quia omne quod advenit alicui actuando illud cui advenit, est actus illius: sed existentia advenit essentiae actuando essentiam perficiendo ipsam, & constituendo illam formaliter in esse actualis: ergo est actus essentiae, ideo enim anima rationalis est actus materiae primæ, quia advenit illi actuando illam & perficiendo ipsam, actus enim & perfectio sunt idem synonyme et late probavimus supra quæstionem. utrum inter materialem

veriam & formam deus duplex unio: Sed existentia perficit essentiam, & actuat illam adueniendo ipsi: ergo est actus illius: ergo essentia se habet respectu existentie vt potentia actualis per illam.

155 Minor prima ita ostenditur, quia siue essentia comparatur ad existentiam tanquam potentia passiva ad actum realem, vel tanquam subiectum ad actum modalem ex se, vt extremum distinctum ab illa existentia, deberet esse ens in actu simpliciter vt est extremum compositionis realis, causaque materialis realis, de cuius ratione est vt non causet nisi cum actu est ens simpliciter extractum à mera sui possibilitate ad actualitatem realem oppositam potentie obiectivæ logicæ: atqui repugnat esse ens simpliciter actus, vt supra late probauimus, nisi per actualem inclusionem existentie, quia sola illa est ratio formalis ponendi rem extra causas, constituendique illam in esse entis simpliciter, conferendique actualitatem realem oppositam mere illius possibilitati: ergo repugnat comparari à parte rei essentiam ad existentiam, tanquam potentiam passivam ad suum actum realem, vel tanquam subiectum ad suum modum à quo perficiatur. Patet consequentia, primo quia essentia à sua entitate per quam constituitur potentia vel subiectum existentie, causans ipsam extremumque distinctionis à parte rei respectu existentie habet omnem actualitatem, & perfectionem, quam posset recipere ab existentia distincta realiter à se: ergo superfluit existentia illa ex natura rei distincta ab ipsa essentia. Secundo, quia implicat effectum formalem primarium alicuius forme antecedere ipsam formam, & esse priorem ipsa forma, nam implicat quod effectus sit prior sua causa, quia causa est prior suo effectui, & effectus est posterior illa, sed implicat quod simul idem sit prius, & posterius respectu eiusdem, alias idem esset, & non esset simul, quia prius non est posterius, sed potius opponitur posteriori: ergo implicat quod effectus antecederet suam causam in eo esse, in quo constituitur ab illa, sed si essentia præcederet existentiam in esse entis simpliciter actualis, ac proinde in esse subiecti aut causæ materialis respectu existentie, præcederet effectus formalis suam causam formalem; nam ens actuale simpliciter est effectus formalis existentie, quia vt vidimus *subiectione superiori*, existentia constituit rem in esse entis actualis simpliciter; ergo.

156 Dices præter habitudinem actus ad potentiam, & modi ad subiectum esse aliam habitudinem, videlicet formalitatis ad rem cuius formalitas est.

Verum hæc sententia innititur opinioni Scottistarum asserentium dari tales formalitates ex natura rei distinctas à rebus, quæ opinio supra à nobis late explosa manet, nisi forte per formalitatem intelligas speciem aliquam modi iuxta sententiam Albertini distinguuntur modos in modos proprios rerum, & in modos qui solum sunt formalitates rerum: modos proprios vocat intentionem qualitatis v.g. modos vero qui sunt formalitates præsentiam localem, sed participatio hæc modorum potius confusio est quam declaratio, exploditurque à præsentia materia per argumentum nuper factum.

157 Alii respondunt docendo essentiam esse extremum distinctionis ex natura rei ab existentia non per actualitatem existentie, sed per actualitatem existentie quam vocant actualitatem entis nominalis.

158 Sed in primis aduersus hanc solutionem opponi possunt argumenta omnia, quibus supra probauimus actualitatem essentie & existentie non distingui inter se, sed potius se habere vt synonyma. Deinde possunt etiam opponi omnes rationes quibus tra-

Etiam de possibilitate, refutauimus, in essentia creatâ dari actualitatem positivam ab æterno distinctam ab actualitate existentie; nam rogo an illa actualitas existentie conueniat essentie ex se & sine productione à Deo, an vero per productionem Dei, & hoc ab æterno vel in tempore? si ex se, ergo essentia creaturæ à se est ens simpliciter actuale positivum, ac proinde erit Deus, & non creatura, quod est falsissimum; si per productionem ab æterno: ergo Deus aliquid ab æterno condidit, quod est contra fidem docentem in principio creasse Deum cælum, & terram; si in tempore: ergo essentia non distinguitur à propria existentia. Patet consequentia, quia actualitas conueniens essentie in tempore per productionem non distinguitur ab ipsa existentia, sed per vos essentia non distinguitur ab actualitate producta in tempore: ergo essentia, & existentia non distinguuntur à parte rei. Maior illa inde probatur, quia essentia per te ratione illius actualitatis constituitur formaliter extremum reale realiter distinctum ab omni alia realitate, quæ non sit ipsa: ergo non potest distingui ab ipsa actualitate, quia vel distingueretur vt ens reale actuale à modo, vel vt ab ente reali actuali simpliciter, vel vt non ens ab ente reali, vel ab ente modali: aliud enim distinctionis genus inter extrema à parte rei reperi non potest, vt suppono *ex disputatione de distinctione supra facta*, sed illa essentia non distinguitur ab actualitate illa, vt non ens ab ente, alias essentia rerum etiam dum actu sunt per id quod extrahuntur, essent simpliciter non entia; imo neque actualitas illa posset ipsas afficere, quia intelligi non potest quo pacto res, vel modus aliquis realis possit afficere quod non est ens, perficiendo ipsum vt potentiam vel subiectum; ideo enim lux non potest afficere vacuum quod est extra cælum, constituendo ipsum in esse luminosi, quia lux est formalitas positiva, & vacuum illud est negatio: ergo positiva formalitas non potest afficere negationem.

Nec item distingui potest vt ens reale actuale ab ente reali vel modali, quia vt iam diximus, vt constituitur extremum distinctionis debet esse ens actualiter simpliciter: ergo per aliquam actualitatem simpliciter debet constitui in tali esse quam intrinsece habeat, & à qua secundum rem non distinguatur, alias ipsum argumentum formari posset de essentia, & hac actualitate, inquirendo quo pacto inter se distinguantur, sique abiretur in infinitum: restat igitur vt actualitas illa quam habet essentia in tempore per productionem ex natura rei non distinguatur ab ipsa essentia. Deinde proba minorem, scilicet actualitatem illam esse illam existentiam, tum à munere existentie quia existentia, vt sæpe iam dixi, est actualitas constituens rem extra causas, sed per illam actualitatem præcise indistinctam ab essentia, & quam habet per productionem in tempore, extrahitur essentia extra causas, est enim iam ens simpliciter distinctum à se ipsa in statu possibilitatis: præterea, quia creaturæ secundum illam rationem terminant productionem actualem, secundum quam in statu possibilitatis denominantur factibiles & producibiles ab omni potentia; sed factibiles, & producibiles ab omni potentia denominantur in statu possibilitatis non ratione negationis præcise & solum, sed ratione existentie quam connotant: ergo actualitas illa non distinguitur te ab existentia. Patet consequentia, quia essentia ratione illius constituitur terminus productionis in tempore.

Confirmatur, quia neque existentia ab essentia, neque essentia ab existentia potest vilo modo separari: ergo non distinguuntur ex natura rei; quod autem essentia non possit separari ab existentia probatur,

quia separari nequit existentia ab essentia, ita ut sine illa manere possit, ut satis constat, quia existentia est modus essentiae, sed modus rei non potest separari à re cuius est modus, manendo in suo esse, alias esset modus, & non modus, modus quia sic supponimus, non modus quia esset res cum maneat separatus ille conceptus ab alio quocumque, neque essentia potest separari ab existentia, quia destructa existentia, destruitur essentia, hoc est in rebus non manentibus, si aliquomodo manere diceretur, maxime quia ab aeterno sunt verae & immutabiles enunciationes de ipsa essentia, ut quia homo sit animal rationalis; hoc autem non satis est ut dicatur essentia manere actu, destructa existentia, sicut neque ut ante existentiam ab aeterno actu fuisse dicatur, veriusque enim eadem est ratio; porro autem essentiam rei creatae non fuisse ab aeterno extra primam causam actu, patet, quia aut illa ab aeterno conservaretur à Deo aut à nullo penderet, sed increata esset, si esset increata, esset ipse Deus, unde essentia creaturae Deus esset, quod est haereticum; si autem à Deo dependeret, & conservaretur, sequeretur aliquid ab aeterno extra Deum fuisse à Deo productum & conservatum, quinimo necessario à Deo ita emanasse, sicut filius aeternus à Patre, quae sunt absurda, ea vero solum ratione dicuntur essentiae rerum aeternae, non quia actu sint, sed quia ab aeterno non implicant contradictionem ut sint, & ita sunt obiectum divinae omnipotentiae, haec autem possibilitas, & non implicatio contradictionis necessaria est, & prior nostro modo intelligendi omni actu voluntatis, & intellectus Divini, ut patet ex dictis supra. Deinde quia nulla entitas potest esse actu, nisi existat, nam existere aut idem est quod actu esse ens, aut necessario recipiuntur inter se, actus enim entis est existere; ergo nulla essentia potest actu esse nisi existat, existere autem non potest sine existentia, nulla igitur potest assignari distinctio inter essentiam actu & existentiam, siquidem essentia actualis est existens, & ita existentiam habet, ac proinde neque vlla compositio realis excogitari potest.

SUBSECTIO. IX.

Quarum principale argumentum ponitur.

Quarto sic argumentor ab impugnatione praedicti fundamenti contrariorum, ideo essentia, & existentia distinguuntur realiter, quia possunt separari eo quod essentia est indifferens ad existendum, vel non existendum, sed haec ratio nullius momenti est, ergo, &c. Probatur minor, si haec ratio subsisteret, ipsa essentia existentiae hominis, prout distinguitur ab essentia ipsa hominis (ut patet ex dictis in prima ratione pro nostra conclusione) distingueretur à parte rei ab ipsa existentia quam essentialiter constituit. Deinde ipsa existentia in quantum distinguitur ab essentia rei, distingueretur à parte rei ab ipso exercitio existentiae, & de illo exercitio idem probaretur, & sic procederetur in infinitum, sed hoc est absurdum quoad utramque partem: ergo, &c.

Maiores quoad primam partem sic demonstratur, quia ideo essentia hominis distinguitur ab ipsa existentia hominis per vos, quia est indifferens ad existendum, & non existendum, ac proinde separatur ab existentia, & haec indifferencia, & haec separatio conveniunt essentiae hominis, quia illa quatenus vera essentia est, est aeternae veritatis omnino necessaria, ac proinde à se, & immutabilis, ac invariabilis simpliciter, & absolute adhuc diuinitus in praedicatis essentialibus, in quo distinguitur vera, & propria essentia, quae quidditas dicitur ab exercitio, & actualitate existentiae, quae contingens est ex eo quod producat à Deo li-

bere, & pro libito diuino tribuatur creaturae, nam ita conceditur existentia essentiae creatae, ut si Deus voluisset non concessisset illam, cum autem id, quod contingenter conuenit, & producat à Deo libere in tempore, non existeret ab aeterno, & essentia fuerit ab aeterno, inde euenit, ut essentia ab aeterno fuerit separata ab existentia, & indifferens ad existendum, & non existendum.

Tum sic praedicata essentialia, quae quidditative, & essentialiter constituunt existentiam hominis (quatenus distinguitur ab essentia ipsius hominis) sunt vera, & propria quidditas, & essentia: ergo sunt ita aeternae veritatis, ut sint omnino necessariae à se, & immutabilia, ac inuariabilia adhuc per potentiam Dei absolutam, ergo ab aeterno sunt eo modo quo sunt ab aeterno praedicata quidditativa hominis, & essentia ipsius, ergo sunt separata ab ipsa existentia, ac proinde sunt indifferencia ad existendum, & non existendum vel ad constituendum, & non constituendum existentiam. Patet consequentia, quia ea quae ita se habent, ut quando datur non datur aliud, separantur realiter, atque quidditas, seu praedicata essentialia existentiae ab aeterno fuerunt, quia sunt aeternae veritatis, &c. & essentia quae de nouo producat nunc non fuit ab aeterno, quia Deus nihil ab aeterno produxit, sed in tempore; ergo praedicata essentialia existentiae separantur à parte rei ab ipsa existentia; ergo illa praedicata essentialia distinguuntur à parte rei ab ipsa existentia, quam essentialiter constituunt, sed hoc est contra vos; qui assertis praedicata essentialia non distinguuntur à parte rei à re ipsa, quam constituunt, ut patet ex dictis supra in prima ratione meae conclusionis, & ideo assertis ens, substantiam, corpus, viuens, animal, rationale nullomodo distinguuntur à parte rei ab homine, quod adeo verum est, ut etiam refutetur Scotum docentem praedicata vniuersalia distinguuntur ex natura rei ab individuo, quod constituunt, si autem praedicata essentialia, quibus essentialiter constituitur existentia quatenus distinguitur ab essentia hominis, vobis gratia, ens, existentia ut sic substantialis, vel accidentaliter separantur ab aeterno ab ipsa existentia, quam constituunt, non solum distinguerentur praedicata quidditativa communia à re, quam constituunt ex natura rei formaliter, ut inquit Scotus, cum identitate reali, sed potius sine vlla identitate distinguerentur à parte rei ab illa; unde vi nostri argumenti concederetis nunc magis quam concedit Scotus, ac proinde vobismetipsis contradiceretis. Ergo dicendum est praedicata quidditativa existentiae non distinguuntur ex natura rei ab ipsa existentia, ac proinde illa praedicata quidditativa, quatenus sunt positiua actualia praedicata non dari ab aeterno, neque separari ab ipsa existentia, quam constituunt essentialiter solum, quae esse ab aeterno possibilia, & secundum possibilitatem separari ab existentia actuali, non à possibilitate existentiae, neque ab existentia possibili, quia ab illa non distinguuntur ipsa essentia possibilis, itaque assertum est essentiam possibilem non distinguuntur ab existentia possibili, & essentiam actualem non distinguuntur à parte rei ab existentia actuali, etiam si sit vera essentia actualis.

Ergo similiter essentia ipsa hominis actualis non distinguitur à propria existentia, etiam si sit vera essentia, quia sicut essentia possibilis hominis non separatur ab existentia possibili hominis, ita essentia actualis hominis non separatur ab existentia actuali ipsius, neque est indifferens ad illam, & ad negationem illius, sed potius est omnino determinata essentia actualis, ad ipsam existentiam, quia per existentiam constituitur in esse actualis identice, & simplicissime quatenus identificatur cum existentia.